Quelle: http://manuscripta.at/?ID=287
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et si ceciderit statim cum lignum dederis in manu
eius surgit folia quercus et eius media
nam corticem coque in aqua et lava caput
scabiosum sive pustolosum et valet distillet
aqua de folys quercus sicut fit aqua ro-
sacea et detur potui mirabiliter stringit
fluxum ventris Huius arboris fructus ut
ait Ysidorus galle appellantur ex quibus
una agrestis honsaturis dicta est parva for-
ma sed firmo corpore altera balan levius
ait levius et minimum perforata lucernarum
in usibus necessaria in alys tamen parum
valet graves vero galle et solide bone
sunt et ut ait plat frigide sunt in secundo gra-
du valet contra vomitum ex debilitate
venientem ex colera Emplastrum ex pulve-
re suo cum albumine ovi et aceto super renes
et pectine valet contra fluxum ventris Idem
etiam ut ad dissolutionem carnis gallam per-
cussam accipe et fel thauri et amygdala
amara et simul coque donec inspissentur
et unge caput scabiosum et sub veniet sibi
galla cum sale armoniaco bona est ad
elevanda uvula Sunt etiam alii fructus que-
rci qui glandes dicuntur decoctio corticis quercus
ventrem stringit Cinis vero istorum conbus-
torum iniectos valet humores putridos et flu-
entes siccat valet enim contra fluxum menstruorum

Glandes et castanee secundum serapionem
dicuntur bullot et castal Et sapor
omnium partium illius arboris est stip-
ticus et maxime corticis medii inter exteri-
orem corticem et lignum et similiter pellicula que
est inter exteriorem fructum et corticem suum
Et nominatur gest albullot Et fructus quidem
virtus prima est que infrigidat in frigi-
datione parva et possibile est quod sit in hoc
sicut medicine tepide primi gradus et desiccat et
fructus eius virtus secunda est que curat multum
fluxum sanguinis menstruorum et sputum san-
guinis et confert ulceribus intestinorum
et fluxum ventris quando coquitur cortex inte-
rior cum cortice fructus Et folium eius con-
glutinat plagas recentes quando apponitur et
maxime quando folia duarum specierum glandium
aggregantur et sunt stiptica magis Et ego quidem
conglutinavi vulnus in quodam quod fuit factum
cum ense cum folio glandis solo postquam tamen ipsum
et teravi et posui super vulnus et in circuitu
eius Et virtus fructus eius est similis
huius virtuti quando administratur in apostema-
tibus calidis in principio eorum et in aug-
mento Et arbor glandium est totaliter stip-
tica et id in quo est maior stipticitas est pel-
licula que est inter corticem exteriorem et
lignum et similiter pellicula que est inter fruc-
tum et corticem eius Datur ergo ex decoc-
tione eius habentibus fluxum antiquum et
habentibus ulcera intestinorum et sputum
sanguinis et cum eis vasculum mulieribus ha-
bentibus cursum humiditatum mirum Et glan-
des similiter faciunt hoc Et ipse quidem multipli-
cat urinam et inducunt dolorem capitis et
inflant ventrem Et conferunt febribus vene-
nosis Et decoctio eius et corticis eius quando
bibitur cum lacte vaccino confert medicine
mortifere que dicitur toxicum Et quando fit emplastrum
cum glandulis ut sedat apta calida Et
quando fit emplastrum cum eis et axungia pas-
sa confert apostematibus duris et ulceribus
fraudulentis Et species quidem glandium que
dicitur castanea est melioris operationis
quam alie Et arbor que dicitur chechaos etiam
arbor que dicitur barbes sunt species arborum glan-
dium Et operatio earum sit fere operatio arborum
glandium Sed cortices barbes quando coquitur
in aqua donec mollificetur et ponitur
super capillos et dimittitur tota nocte postquam
prius ablutum est caput cum chimolea tin-
git capillos in nigrum colorem Et folium
speciei arboris glandium omnium quando teritur con-
fert apostematibus similiter et fortificat mem-
bra debilia Sed illa que nominatur sadi analach
Et quidam nominant eam castanea et est similiter
bulot est stiptica similiter et operatio eius est
similis operationi glandium et maxime cor-
tex interior castane et est pellicula sub-
tilis que est media inter corticem gros-
sum et fructum et caro ipsa castanee
confert illi qui bibit medicinam mortiferam
que dicitur aprinazam hec serapio

Glans est fructus arboris quer-
cus secundum magistrum galleacium
Nota quod quidam dicunt quod sit
frigida et sicca in secundo quidam frigida et sicca in primo
Sed dicamus secundum galleacium et dicit quod